

X O X 50

ELENCHVS VITAE

hujus auctoris.



Wilhelmus Forbesius, S. theol. doctor, episcopus primus edenburghensis, parentibus honestis fuit editus, patre *Thoma Forbesio*, cive aberdoniensi, modestia & morum probitate nullis non probato, & genere natalitio ex illustri Forbesiorum familia, melioris notae civibus consociato & conjuncto, & matre *Faneta Cargilla*, sorore germana Jacobi Cargilli, aberdoniensis medicinae doctoris celeberrimi: unde viget adhuc, semperque vigebit grata parentum Forbesii memoria, & vitae ipsorum innocentia testata, at majore prolis virtute condecorata.

Natus est *Aberdoniae*, quae civitas est in septentrionali Scotiae plaga sita, almae academiae, & dignitatis episcopalis sedes eximia; quae olim *Athenae caledoniae*, & studiorum generalium gloria nuncupabatur. Hic natus, hic edoctus & educatus Forbesius, hic virtutis semina jecit, quae progressu temporis in gloriosam messem evaserunt.

Duodecimum vix egressus annum, cum primum in schola *grammaticae*, *linguae latinae* & *graecae* magnam sibi notitiam comparasset, felicissimi ingenii magis magisque excolendi gratia, ad collegium mareschallanum sese recepit,

b 2

& in